

Letter 156a: [Shortly after 3 April 1523, Nürnberg?], Caspar [Hedio] to Capito

The manuscript of this letter is an autograph in the Melanchthonhaus Bretten, Hs. Inv. Nr. 354.

S.d. Die Parasceves accepi inclusas literas, quas Laurentius Nachtenhoffer ad me misit, ut quam cytissime ad te curarem. Equidem bona fortuna habebam apud me Ioannem Frobenium cui commisi. Si non erratum est in titulo, bis eris praepositus donec unam vendideris tunicam non habenti, sed per iocum. Bene vale, charissime patrone. Commendator patronus meus decumbit graviter, cui aliquot aureos debeo. Post ferias ascendam invisurus optimum patronum, fortassis non sine incommodo, deinde, si visum fuerit, Basileam obiter veteres amicos salutaturus. Non enim possum in morem spongiae semper uno loco herere. Et praestiterit semel invisere Erasmus, cui tu me commenda officiosissime. Rursus vale in Christo et festina Nurnbergam. Tuus Caspar.